



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

[16.] S. Hyacinthus Ord. S. Dominic.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*confugientes, contagionem illam atrocissimam evasuros significo. Fili! ne timeamus hęc, vel illō morbō mori! Timeamus potius, malē, & minūs Christianē mori!*

*Instructio meritoria.*

Misereamur dilectæ patriæ. Ut Deus avertat flagellum suæ iracundiæ, post summum officium assuescamus subjungere vel Rhythmum: *Stella cæli extirpavit &c.* vel *quinque Pater & Ave cum Salve Regina.* Tremenda est Dei manus, si quem feriat.

Festum S. Hyacinthi ex Ordine  
S. P. Dominici.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**ualis Magister, talis & discipulus. S. Dominicus docuit perfectam sanctē vivendi rationem; retinuit usque ad finem vitæ Hyacinthus quam fidelissimē. Deus ipse egit Magistrum respectu nostrum! Quæ enim non quotidie suspicimus desursum dictamina ad omnem vitæ sanctitatem, & justiciam? Sed  
que

quæ fidelitas in exequendo? Qualis constantia in observandô?

*Instructio meritoria.*

Negligere instinctus Divinos, nota magnæ infidelitatis est. Nec sufficit, primitus intellexisse. Finis coronat opus, dat, & auget præmium. Deploremus peccata omissionis, de quibus per aliquot dies nos specialiter accusemus in sacro tribunali, extraordinariam insuper rogaturi, vel nobismetipsis dictaturi poenitentiam, qualis esse possent *psalmi graduales*, vel actus occultæ macerationis. Timeamus! Caveamus! Nescimus, an amore; an odiô digni?

II.

**V**ivimus de patrimonio Christi! Quod illud? S. Hyacinthus exhibet. Hic castitatem perpetuam, modestiam, patientiam, humilitatem, & abstinentiam, ut certum vitæ religiosæ adamavit patrimonium. Prodigimus Christi substantiam, Sanguinem, & S. Passionem, si has in nobis non exprimimus

mus virtutes? O quid respondebimus hæc à nobis requirenti?

*Instructio meritoria.*

Mors instat! & de bono patrimonio non prospicimus. Credidero; Quia nostra exercitia, meditationes, & examina non fervidè, sed perfunctoriè, & ex sicca consuetudine peragimus. Si hoc, nunquam vel unicam virtutem solidam obtinebimus. Renovemus igitur spiritum, & fervorem tempore exercitiorum. Flectamus liberi! Manibus erectis, mente in Deum recollecta, oculis clausis, sensibus quietis. O media miræ sanctitatis! Ut rebelle in se suscipiat corpus, & suavitatem recollectionis mentalis degustet, officium de dulcissimo Nomine Jesu oremus. Ab Eo petendum nobis patrimonium Christi.

III.

**L**ucrari animas Christo, ars arrium est. Didicit hanc S. Hyacinthus, qui Verbi Divini prædicatione, & vitæ innocentia omnibus omnia factus est. Duo sunt, quibus Deo, & hominibus nos probamus gratissimos. Verbum bonum

XVII. Augusti. S. Claræ de Montefalco. 485

bonum in ore, & vivum religiosæ, & puræ vitæ testimonium, ac exemplum in opere. Hîs per totum mundum securi ibimus.

*Instructio meritoria.*

Nunquid fili! in utroque multa defunt nobis? Examinemus linguam, & colloquia; Examinemus vitam, & opera. O quàm longè distamus à spiritu apostolico! Ut nobis, & omnibus sacris Religionibus impetremus, descendentes ad refectorium 12. *Pater & Ave* in honorem duodecim SS. Apostolorum frequentius recitare assuescamus. Viris, & Apostolis indiget Ecclesia, non scandalis, & pravis exemplis.

Dies S. Claræ de Montefalco  
Sacra.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! Amor Crucifixi Jesu quis in cordibus nostris? O si tantus, quantus in corde hodiernæ Virginis ardentissimæ! Hæc Crucifixum sponsum eò stringebat amore, ut cor ejus clavis, lanceâ, & spongiâ passionis insigniri divini-